

DANTIS EXSILIUM.

CARMEN LATINUM

IN THEATRO SHELDONIANO RECITATUM

DIE JUNII XXI. M DCCC LXV.

AUCTORE RICARDO B. MICHELL,

E COLL. BALL.

OXONII:

T. ET G. SHRIMPTON.

M DCCC LXV.

DANTIS EXSILIUM.

O QUIS inhumanos, civilia bella, furores,
Quis mala quot dederit, quantas confuderit urbes,
Semen inexpleti luctus, Discordia fratrum,
Fando æquet, justa vel imagine fingere possit?
Sæpius illa tamen, quamvis ita prælia gignat
Horrida, quam parva solet ipsa ab origine nasci!
Ceu quum fors æstate inter pineta favilla
Prodiit; hinc subitæ furor exardescere flammæ
Indomitam volvens pestem; jamque undique circum
Fumosis sterni, quam lata est, silva ruinis.

Talis causa mali, talis, Pistoria,[a] motus
Auctor eras, tantos peperisti parva tumultus;
Tempore quo vitiata tuis Florentia rixis,
Ipsa parum unanimos servans Florentia cives,
Turbabat, sævisque incensa efferbuit iris.

Tuque adeo—neque enim licuit vitare—labores
Hos inter, Dantes, patrios pars magna fuisti;
Magna nimis; namque inde omnis dolor, inde malorum,
Plurima quæ fatis, O ter miserande, tulisti,
Fons erat. Heu! sortem immeritam, et crudelia vitæ
Numina! vix æstatem ævi floremque virilem
Carpebas medii, patrioque insignis amore
Vix summum imperium, et summos jam nactus honores,
Quum subito mutata vicem tulit invida tristem
Fortuna, et vultus induta est fronte severos.

[a] Pistoia (Pistoria) was the place where the sedition which afterwards became general at Florence arose. See *Life of Dante*.

Ex illo lux lætitiæ superata tenebris,
Spesque recesserunt, reliquosque secuta per annos
Vexabat te cura manens dum vita manebat.
Non aliter, mediam quum Sol per cærula Olympi
Pura diem ducit, gavisaque rura renident,
Ecce! improvisa speciem caligine rerum
Vertere tempestas, nimborumque ocius horror
Ingruere, et cæcis polus obscurarier umbris.

Sed quæ lingua satis valeat, quæ verba dolorem
Ingentem memorare viri fletusque profusos,
Audiit ut lacrimans scelus et decreta suorum,
Audiit exsiliumque suum, eversosque penates?
Hasne ergo, has civi digno pia patria grates
Pro patria pietate refert? hæc præmia solvit?
Nempe modo ad Romam natali ex urbe profectus,
Pacis amicitiæque ferens promissa novandæ,
Venerat; et jam tum lætas spes corde fovebat
Instaurandam iterum composto Marte quietem
Civilem;—neque enim patriæ studiosior alter
Libertatis erat, non urbs sua carior ulli.

Heu! inopinatæ spes quam cito debita morti!
Quam peritura brevi fallacia somnia mentis!
Jamque aderat dictis pandens miserabile fatum
Nuncius infelix; adstabat verba loquentis
Singula pallescens exsul; tum fletibus ultro
Cessit inassuetis; donec jam denique talem
Singultus inter crebros dedit ore querelam:
"Urbs ingrata, vale! vosque O loca cara tot annos,
O dilecta mihi, nimium dilecta, valete!
Quandoquidem, sic sors jubet, a dulcedine vestra
Nostris deliciis me invitum avellere cogor.
Me tamen hoc, testor vos conscia numina veri,
Me numquam meruisse nefas; ipsa, ipsa coegit
Insontem, infando indicio, patria et sine jure
Trusit in exsilium; sed adhuc mihi restitit idem
Intemeratus amor,—pro te, Florentia, casus
Haud semel expertus pugnæ, discriminaque ausus,
Atque tua letum pro majestate pacisci.
Quin etiam dum spes profugo dum vita manebit,
Nulla quies animo dabitur, tempusve laborve
Prætermissus erit, dum rursus amabile limen

Intrarim, et caræ remearim mænia sedis."
Quo gemitu patrios fines affatus et urbem,
Tristis in exsilium, numquam rediturus, abibat.

Dehinc errabundi vestigia devia cursus,
Multiplicesque sequi casus, latebrasque recessusque
Incertos—opus ingratum—mihi, Musa, recusas
Narrare; ut magis atque magis mora longa dierum,
Annorum mora longa malis oppresserit ægrum.
Quin satius terræ mirandum altricis amorem
Magnanimi revocare juvat; per mille labores
Scilicet indignos idem pietatis alebat
Immortalem alto servans sub pectore flammam.
Usque resurgebat dilectæ sedis imago
Sollicitæ menti, desideriumque ciebat,
Non noctu non illa die requiescere passa.

Quo spes illusas reditus, quo carmine vanos
Conatus possim, fata illacrimanda, referre?
Bis vetitos urbis muros tentaverat armis
Intrare, optatamque domum jam jamque tenebat,

Bis gressus miser invitos retraxit inultus.
Nec magis orando valuit crudelia cives
Flectere corda exsul: non illi supplicis ullas
Erubuere preces, et inania vota rogantis.
Qualis ubi ejectus jamdudum in littore solo
Naufragus, en! puppim lætans accedere longe
Paullatim, pontoque albescere carbasa vidit.
Frustra; nam subito cursum mutavit; at ille
Vela oculis, spem corde, simul vanescere sentit.
Sic subiere breves læto spes exsulis ortæ
Pectore, sic retro celeres fluxere relapsæ.

Tum sine more dolens, et iniquo pondere fractus
Curarum, immensos secum sic volvere luctus:
Hei mihi! quæ longos exspectat meta labores,
Quemve modum Deus est rebus positurus acerbis?
Densatas iterum nubes, radiosque parumper
Immissos atræ video succumbere nocti.
O patria, et quondam domus, O pulcherrima Romæ[b]

[b] See Dante: *Convito*, p. 11.

Filia! quippe tuo gremio nutritus in almo
Florebam felix puer atque ætate vigebam
Matura tenus, et plusquam juvenilibus annis.
Atque utinam, post quæ durare miserrima fatis
Sors dedit adversis, utinam, ah! spes irrita, tandem,
Tandem, O ante alias mihi jucundissima sedes,
Fas esset remeare, tuaque hæc membra sub umbra
Ponere jam defessa, et degere pace senectam!
Heu! veluti fervente salo jactata procellis
Infrenis fertur, nullo moderamine, navis,
Nec quo evadat habet, nec sperat tangere portum;
Sic ego jampridem, sævi sub turbine fati,
Huc illuc agor, et curis exercitus erro.
Quin avibus nidos, generi sua tecta ferarum
Invideo extorris patria, dum angusta vagantem
Paupertas urget; præcordiaque ima remordens
Est dolor, ac mæstæ subiens injuria sortis,
Quæque mihi fuit ante domus, natique relicti.—
Sed quid ego hæc nequiquam agitata mente revolvo?
Quidve queror? me nam docuit mala tanta ferentem

Spernere res humiles terræ Pater optimus unus,
Et magis ardentem ad cœlestia gaudia niti.
Vos quoque, sublimes, jam nunc solatia, Musæ,
Dulcia præbetis, vos et lenire dolentem
Carmine, curarumque oblivia ferre potestis.
Vestra ope, divinæ, mihi res non ante retectas
Humanis oculis, alta et caligine mersas,
Venturosque dies, arcanaque cernere fata,
Contigit. Hæc gravibus concessa levamina curis
Et mulcere valent, et longum fallere tempus.

Talia volvebat, lenimen tale doloris
Quærebat, miro Musarum incensus amore.
Scilicet a terris divino numine raptus,
Defunctorum inter manes mæstosque beatosque
Ire videbatur, variasque invisere sedes.
Nunc, duce Vergilio, Terroris regna peragrat,
Quos plangore locos resonant miseroque ululatu
Supplicia innumeræ patientes dira catervæ.
Has dolor æternis cruciatibus improbus angit,
Morbique, frigusque urens, ignesque nefandi,

Conjunctis torquent furiis. Sedet Horror ubique.
Aspicit, aspectuque cadit tremefactus acerbo,
Semianimi similis ;—vix lumina tollere tandem
Ausus, et hortatu surgit renovatus amici.
Deinde ubi damnatæ pœnis levioribus umbræ
Triste luunt delicta, et longa piacula solvunt,
Ut quamvis sera cœlesti pace fruantur,
Devenit. Inde domos sanctorum ascendere in altas
Dum cupit, en! oblata oculis pulcherrima visu
Forma Beatricis,[c] præclari sideris instar,
Coram adstat, cœlo pennis delapsa supremo:
Plusquam mortali specie circumdata, quales
Humani nequeant oculi sufferre nitores.
Ille avido obtutu radiantia virginis ora
Et decus eximium lustrans, agnoscit amores
Non umquam oblitos, renovatoque uritur igne.
Succurrunt primæ fuerant quæ dulcia vitæ,
Amplectique iterum et collo dare brachia circum

[c] See Dante: *Purgatory*, Canto xxx.

Ultro ardet; sed fata manus inimica coercent.
Affari tamen, et voces audire loquentis,
Divinumque sinunt oculis haurire decorem.
Jamque per ætherios cœli, loca lucida, tractus
Ipsa viam monstrat, comitemque ad sidera ducit,
Fortunatorum campos, sedesque beatas.
Illic lætitiam nacti pietate perennem
Cœlicolæ, parta jam pace, laboribus actis,
Umbram inter silvestrem, et amænis vallibus errant.
Carminibusque Dei laudes, cui gloria, cui stat
Cunctarum ditio rerum, et sine fine potestas,
Extollunt, citharisque sonant et voce parentem.

Talia mente alta fingebat somnia vates,
Talia cantabat memorans, his fontibus ortum
Condidit immortale futura in sæcula carmen.
Et jam mors aderat, jam tristes linquere terras,
Optataque domo, cœlique quiete potiri.
Qualis longinquam certus qui exquirere terram
Trans Atlanteos ignota pericula fluctus,
Jam permensus iter sensit, finemque propinquam

Lætus et ante oculos demum nova littora vidit.
Haud secus ætheriæ prospexit gaudia sedis
Jam propiora senex, et longo grata labori
Mors requiem tulit æternam, luctusque diremit.

List of Latin Prize Poems,

ONE SHILLING EACH,

PUBLISHED BY T. AND G. SHRIMPTON,

23 & 24 *BROAD STREET, OXFORD.*

1841. Viæ per Angliam ferro stratæ, by F. Fanshawe, Scholar of Balliol (Fellow of Exeter).

1843. Venetiæ, by Edward Walford, Scholar of Balliol.

1844. Triumphi Pompa apud Romanos, by Edwin Palmer, Scholar (Fellow) of Balliol.

1846. Phœnices, Nechonis tempore, Africæ oram circumnavigantes, by Thomas Collett Sandars, Scholar of Balliol (Fellow of Oriel).

1847. Turris Londinensis, by John Conington, Scholar (Fellow) of University, Professor of Latin Literature.

1850. Herodotus apud Olympiam Musas suas recitans, by John Hoskyns Abrahall, Commoner of Balliol (Fellow of Lincoln).

1854. Suis et ipsa Roma viribus ruit, by Alfred Blomfield, Scholar of Balliol (Fellow of All Souls').

1855. Israelitæ Palestinam Occupantes, by Robinson Ellis, Scholar of Balliol (Fellow of Trinity).

1856. Mors Socratis, by E. C. Wickham, Fellow of New College.

1857. Sebastopol, by Charles Synge Christopher Bowen, Fellow of Balliol.

1858. Lacus Asphaltites, by J. H. Warner, Balliol.

1859. India Orientalis, by R. S. Wright, Scholar of Balliol.

1861. Trinacria, by W. L. Stonhouse, Brasenose.

1862. Cæsar in Senatu Interfectus, by Robert W. Raper, Scholar of Trinity.

1863. Spelunca Duplex in Agro Ephronis, by Thomas Leslie Papillon, Scholar of Balliol College.

1864. Furculæ Caudinæ, by William Moore, Scholar of New College.